

culi symboli nostri apostolici. vide *Jes. xxvii, ii.* non miserebitur ejus (populi) עֲשֵׂהוּ: *Deut. xxxii, 6.* nonne ipse est pater tuus, qui קָנָה, ipse עָשָׂה fecit te. *vers. 15.* deseruit Deum, qui עֲשֵׂהוּ. De regeneratione vide *Ephes. II, 10.* ejusdem sumus opus &c. ita & *Vinariens. ex Jes. xxix, 23. Ephes. II, 8. seq. item Belgæ.*

וְלֹא עָשֵׂהוּ non nos ipsi:) quanquam posito autore vel opifice nostri unico facile exclusi intelligantur omnes alii, attamen majoris pietatis excitanda causa, negativum quoque subjungi debuit, ne nihil fecisse Deum in productione nostri opinaremur, juxta illud, *sol & homo generant hominem;* vel ne tacite nos ipsos in hoc *Effectio* opere subordinare audeamus Deo, ne de concursu nostro qualicumque cum Deo cogitemus quicquam. Confer de repetitione sententia ejusdem per synonyma affirmativa & negativa, *Prov. IV, 5. 6. V, 8. 12. 13. 17. Psalm. XXVIII, 5. XXXII, 5. LXXXIV, 12. LXXXIX, 31. 32.* Huc *Ezech. xxix, 3.* ubi Pharaon: fluvius est meus, וְאֵלֵי עֲשֵׂהוּ & feci me ipsemet ego, vel, feci mihi. Keri hic habet וְלֹא עָשֵׂהוּ & ejus nos (sumus.) *Hieron. & ipsius sumus:* ita & *Chaldaus.* At *LXX. אֵלֵי עָשֵׂהוּ, הִמְעִיס.* Symmach. *ἐκ ἑαυτοῦ.* quem sequuntur *Eusebius & Theodoretus, & non ipsi nos,* ita *Vulg. Utrumque, & Keri, & Ketif,* sensum parit commodum. Loca autem singula וְלֹא עָשֵׂהוּ alternantium ex observatione *Matoreth.* protulit excussitque *Capellus l. 3. crit. c. 10. §. 10. seq.*

עַמּוֹת populum suum:) ratione scilicet fœderis cum Israëlè initi, utpote quem h. m. præ cunctis nationibus aliis, à se factis atque conservatis, peculiarissimè sibi appropriavit, ut suum illic constitueret solennem cultum, adeò ut pii quivis alii in V. T. huic populo se coacti fuerint associare, si membra ecclesiæ fieri appeterent: imò quem populum præ aliis amavit in eò, quod ex sola hac natione carnem aliquando voluerit assumere, &c. Ac proinde sicut *Rex Hispanus,* licet sub se habeat etiam *Indos* atque *barbaros,* peculiariter tamen amat populum suum, in quò natus est, cum quò communem habet linguam, aërem, &c. ita *Deus* quoque noster *Israëlem olim* fecit suum populum, *Rom. IX, 3. seq.*

וְצֹאֵן gregem pascui sui:) i. e. quem populum suum instar gregis teneri sollicitè curaret, singularemque ex eò, tanquam pastor ubi vis præsentissimus & nil quasi aliud agens, caperet oblectationem. Vocabulis his figuratis antecedens illustratur locutio propria, viderique potest de iisdem *Pf. LXXIV, 1.* quare fumabit ira tua כִּצְאוֹן מִרְעִירָךְ. item *Pfal. XCV, 7.* ipse est *Deus* noster, & nos *populus* pascuæ ejus, & grex manûs ejus.

EXPLICATIO VERSUS IV.

שַׁעֲרֵי (in) portas ejus:) quæ scilicet introitum præbent ad sacra sive tabernaculi, sive templi *Salomonei* atria, ubi singulariter præfens est *Deus,* & cujus proinde propria etiam dicuntur esse hæc portæ. De portis tabernaculi vide *1. Chron. IX, 23.* de templi autem portis, *2. Par. XXIII, 19. Ezech. XLIV, 11. &c.* Illustrari hoc quodammodo posset locutione illâ *synecdochicâ,* ubi *Porta* pro toto ponitur tabernaculo *Exod. XXIX, 4. XXXII, 42. XXXVIII, 8. Lev. 1, 3. &c.* Vide *Pfal. CXVIII, 19.* aperite mihi portas justitiæ.

A בְּהַרְרָה cum laude:) (vide *vers. 1.*) h. e. ne silentes aut muti sitis in conventibus sacris, ne præ fastu vel tædio labia movere ad laudes *Dei* renuatis, quin potius *plectra* linguæ solvatis liberrimè, &c.

אֲתֵּרוֹתֵי atria ejusdem:) ubi scilicet plebs reverenter stat ac commoratur, sacrificiorum oblationem spectans, musicam concionesque sacras auscultans, & ipsamet etiam simul pro ratione temporis concinens. vide *Pfal. LXXXIV, 11.* melior est dies unus לְהַצְרִיחֵי & *Pfal. XCVI, 8.* venite לְהַצְרִיחֵי.

בְּרִכְוֹ benedicite nomini ejus:) i. e. optima ac sacrosancta quævis de eodem enunciate. vide *Pfal. XCVI, 2.* cantate Domino, benedicite nomini ejus.

EXPLICATIO VERSUS V.

טוֹב bonus:) tam in se & essentialiter, quàm erga creaturas & effectivè; tam in primâ bonorum collatione, quam in benignâ collatorum conservatione, offensarum condonatione, &c. vide *Pfal. XXV, 8.* bonus & rectus est *Jehova:* *Pf. xxxiv, 9.* videte, quod bonus *Jehova:* *Pfal. LIV, 8.* celebri nomen tuum, quia bonum: *Pf. LXXXVI, 5.* bonus est *Dominus* & condonans; item *Pf. CVI, 1. CVII, 1. CXVIII, 1. 29. CXXXVI, 1.* *Lutherus:* freundlich; prius: gut. sic & *Belgæ.*

בְּרִכְוֹ gratia ejus:) hujus & veritatis mox subsequenti copulationem jam deprehendimus *Pfal. XCVIII, 3.* Clausulam verò hanc alibi intercalarem reperies præcipuè *Pfal. CXVIII, 1. seq. & CXXXVI, 1. seqq.* (ubi 26. vicibus.)

USUS PRACTICUS E VERSU I.

- (1) Dominus celebrandus voce sonorâ, devotâ, benè compositâ, è gaudiò Spiritus oriunda: præc. II.
- (2) Omnis terra de jure semper celebrare debuit, de factò in N. demum T. post annunciatum evangelium solenniter Deum verum celebravit: *Col. I, 23. Rom. xv, 11. Pf. CXVII, 1. L. de Vocat. gentium.*

USUS E VERSU II.

- (1) Serviendum Deo secundum verbi div. præscriptum, non per intervalla, sed indefinenter, non operis manuariis tantum, sed animâ, corpore viribusque omnibus, tam quoad officium christianismi commune, quam quoad munus in quâvis hierarchiâ cuique seorsim competens. Hæc ipsa Servitus libertas omnium felicissima. *Joh. VIII, 36. xv, 15. Gal. V, 13. Rom. VI, 20. 22. Tit. III, 3. Pf. CX, 3.*
- (2) Gaudium excludit omnem coactionem, fastidium, tergiversationem, &c. ut alacritas deprehendatur animosa, Deo suo intimè contenta, &c. *Phil. III, 1. IV, 4. Rom. XIV, 17.*
- (3) Corpus etiam nostrum sistendum in conventibus sacris: *Matth. XVIII, 20. Ebr. X, 28. Pf. XXVII, 4. XL, 11.*
- (4) De cantu Deo consecrando *Col. III, 16. Eph. V, 19. IV, 29. vide porrò præc. II.*

USUS E VERSU III.

- (1) Intellectus noster studiosissime explendus agnitione Dei veri, quippe quæ pars imaginis div. haut postrema, ad quam reparandi sumus: *Jes. I, 3. Eph. IV, 24. Col. III, 10.*
- (2) Cognoscitur hoc totum de Dei essentiâ, attributis, personis, operibus, voluntate &c. non tam ex libro nature, quàm *Scripturæ:* *Joh. V, 39. Rom. X, 14. 17.*